MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80467-28

AUTHOR:

SEEBECK, JOHANN

TITLE:

DE HOMERO OEDIPODEAE FABULAE...

PLACE:

BONNAE

DATE:

1865

Master Negative #

92-80467-28

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Seebeck, Johann, 1842-
De Homero Oedipodeae fabvlae avctore. Dissertatio philologica qvam ... pvblice defendet Ioannes Seebeck ... Bonnae, typis C. Georgii, 1865.
32 p. 22 cm.

Thesis, Bonn, 1865.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 2-28-92 INITIALS M.D.S.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

HOMERO OEDIPODEAE FABVLAE AVCTORE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE IV. MENSIS AVGVSTI A. CIↃIↃCCCLXV

PVBLICE DEFENDET

IOANNES SEEBECK
DRESDENSIS.

ADVERSARII ERVNT
ERNESTVS WEISMANN.
CONRADVS VARRENTRAPP.
EDVARDVS HILLER.

BONNAE
TYPIS CAROLI GEORGII
A. CIↃIↃCCCLXV.

MAVRICIO SEEBECK

PATRVO.

Oedipodeam fabulam tractandam atque explicandam cum mihi proposuerim, haec vero res a Welckero viro quam maxime venerabili aliisque viris doctis [1]) paene absoluta et ad finem adducta esse videatur, quam potissimum ego sequar perscrutandi rationem, primo loco exponendum erit.

Welckerus noster, qui ante hos viginti quinque annos hanc studiorum nostrorum disciplinam instituit, institutam quam maxime promovit, id potissimum demonstrare studuit, epicam Graecorum poesin et tragicam arctissimo vinculo esse coniunctas. Quod vinculum fabulis sive mythis effici epicorum et tragicorum reliquiis probavit inter se comparatis. Itaque docuit probavitque, hoc modo rationem inventam esse, non solum quomodo carminum epicorum argumenta reperirentur, sed etiam tragoediae quomodo in ordinem quendam redactae exhiberentur. Atque libris quidem de trilogia Aeschylea et de tragoediis Graecorum conscriptis mythos secutus tragicae poesis reliquias in ordinem redegit, tragoediarum argumenta restituit, versus forte fortuna nobis servatos suis locis inseruit. Libro denique, quo agitur de cyclo epico poetisque

1) C. Fr. Hermann quaestionum Oedipodearum capita tria Marpurgi 1837.

Schneidewin Die Sage vom Oedipus. Goettingen 1852.

C. O. Müller in Aeschyli Eumenidarum editione p. 168 sqq.

E. Sterk de Labdacidarum historia a tragicis in scena proposita. Lugd. Bat. 1829.

Preller Griech. Mythol. II. p. 343 sqq.

Ferd. Ranke Hall. Encycl. s. v. Oedipus.

Homericis [2]), epica Graecorum poesis quanta virtute insignis fuerit, poetarum cyclicorum carminibus ex ingentibus ruinis quasi erectis, quam clarissime demonstratur. Quibus studiis vir de rerum antiquarum scientia meritissimus naturam et indolem totius Graecorum poesis explanare atque enucleare conatus est.

In tanta rerum copia ac difficultate cum ampla quaestionem multitudo redundaret, in quibus perpendendis retractandisque iam diu viri docti versati sunt, factum est, ut quaestiones mythologicae non tam accurate adhuc examinarentur. Et mihi quidem Welckeri fabularum restituendarum ratio haud per omnes partes probanda videbatur: quantum enim inter epicam fabularum formam et tragicam intersit, quantum poetae suo quisque ingenio ad fabulas conformandas commutandasve valuerint, neque satis perspectum est neque exploratum. Id vero ex eo errore ortum est, quod putabat, omnia ad historiam fabularem pertinentia ex Homericis carminibus, ex Aeschyli, Sophoclis, Euripidis tragoediis aeque esse colligenda atque poetarum lyricorum, historicorum, grammaticorum, scholiastarumque commemorationibus exornata ad illorum, de quibus diximus, poetarum opera explicanda intellegendaque adhibenda esse. Ego autem, quam viam ineundam esse censeam, non iam latebit. Certa enim ratione cum singulos poetarum locos interpretatus, grammaticorum scholiastarumque explicationibus commentatus eris, servato temporis ordine disposueris, non solum mythorum forma, qualis fuerit in Homericis carminibus, qualis apud poetas cyclicos, qualis in Aeschyli, Sophoclis, Euripidis tragoediis percipies atque agnosces, sed etiam fabularum historiae scribendae fundamenta iacies.

2) De fabula Thebana cf. Aesch. Tril. p. 354. Ep. Cycl. II. p. 311 sqq. Allg. Schulz. 1832. II. p. 106 sqq.
Leutsch Thebaidis cycl. reliqu. Goettingae 1830.
Schneidewin Philologus II. p. 348. V. p. 180.

Qua ratione quaestiones de mythologia Graecorum institutae ad intellegendas et iudicandas poetarum reliquias quam plurimum conferent. In aestimando enim carmine, quibus conditionibus ortum sit, quae temporum ratio fuerit, quae poeta assumpserit et ab aliis repetiverit, quae suo ingenio praestiterit addideritque, cognoscere, quanti momenti sit, quis est, qui nesciat?

Quae cum ita sint, num in Oedipi fabula tractanda, ea quam modo exposui ratione, quae a Welckero aliisque viris doctis proposita sunt, corrigere atque emendare possim, iam experiar. Hac dissertatione autem propter rerum amplitudinem de Homericis tantum locis agendum mihi erit, quibus commemorantur fabulae Thebanae. Posteriore tempore quae nunc inchoavi peragere fortasse et absolvere mihi licebit. Sed hoc ad virorum doctorum de hocce libello arbitrium iudiciumque redit.

Homericorum locorum Oedipodeam fabulam tractantium duplex est ratio, neque quantum hac quoque in re inter se differant Ilias et Odyssea, praetermitti licet. In Iliade enim epico more utriusque belli contra Thebas gesti mentio fit: et prius quidem, quo Tydeus Argivorum dux magnam gloriam sibi paraverat saepe [3]), Thebarum excidium ab epigonis patratum semel [4]) commemorantur. Oedipi autem uno tantum loco [5]) strictim poeta mentionem iniecit. In Odyssea aliter res se habet: dira enim Oedipi fortuna non iam adumbratur, immo vero ita exponitur, ut tragoediae initia cognoscere liceat. Quae quidem iam a Nitzschio [6]) in adnotationibus ad Odysseam scriptis

3) Il. IV, 370. V, 800. VI, 222. X, 283. XIV, 113. XXIII, 346.
4) Il. IV, 406.
5) Il. XXIII, 679.
6) Nitzsch Anmerkungen zur Odyssee vol. II. praef. p. XXVII.

hisce verbis perspecta esse invenio: *„In der Odyssee verräth sich schon die Fabel von Oedipus in der grauseren Gestalt, wie sie die Ilias noch nicht zu kennen scheint.“* Sed priusquam ad haec accuratius examinanda succingamur, in enarrandis quoque rebus Thebanis quantum inter Iliadem et Odysseam intersit, demonstrandum esse mihi videtur.

Ac primum quidem in utroque carmine personarum introducendarum diversa ratio est. In Iliade enim res Thebanae ἐπεισοδικῶς commemorantur. Cuius commemorationis ansam Diomedes praebet, qui ante Thebarum muros primam militiam fecit, Tydei patris ultor a Thebanis ducibus interfecti. Quae a Tydeo clare perpetrata et fortitudine versutiaque ipsa Minerva adiuvante peracta sunt, non solum a Diomede filio praedicantur, sed etiam amicis et Minervae divinae eius patronae ad virtutem inflammandam atque augendam occasionem quam gratissimam praebent. Itaque poeta eos belli Thebani casus eligit et enarrat, quibus quanta praestiterit Tydeus quam clarissime perspicitur. Ac summam quidem laudem sibi paraverat legatione illa ad Cadmeorum principes suscepta feliciterque peracta. Nullo timore perculsus solus muros hostium introit, Cadmeorum iuvenes certamine facile superat, hostes in insidiis collocatos interficit. Neque ea, quae antea facta sunt, poeta omittit. Tydeum patria exsulem ab Adrasto exceptum fuisse, filiaque eius in matrimonium ducta [7]) una cum Polynice bellum contra Thebas parasse; haec ita orationi inserta sunt, ut cum rebus Troianis arcte coniuncta esse, neque a totius carminis sermone et colore discrepare nobis profitendum sit.

Odysseae quoque auctori [8]) Argivorum principes contra Thebas pugnasse, notum erat; sed aliam iniit viam,

7) Il. XIV, 121.
8) Od. XV, 222.

qua huius belli mentionem faceret. Telemacho Ithacam redituro obviam venit Theoclymenus Melampodides propter caedem exsul, quae sibi suoque generi acciderint enarrat, Telemacho denique, ut se tueatur, persuadet. Ut de ea quaestione taceamus, num hic locus ab Homero profectus sit necne, ut taceamus de Nitzschii [9]) sententia qui versus 226—256, quibus Melampodidarum genealogia contineatur, spurios esse censet — quod si verum est, iam inde elucet, quae de Amphiarao tradita sint, posteriore demum tempore orta esse —: id unum hoc loco proferamus, narrandi rationem prorsus commutatam neque iam a genealogici carminis indole alienam esse. Nam id maxime poetam spectare cernimus, ut personas, quas introducit, cum eis heroibus, qui omnibus noti erant, vel affinitate vel alio quodam vinculo coniungat. Quae carminum pangendorum ratio cum neque in Iliadis locis a nobis examinatis inveniatur, neque omnino cum tota Homericae poesis natura atque indole congruat, in his versibus proprium aliquid atque peculiare inesse apparet. Accedit, quod ipsa etiam re Ilias et Odyssea inter se discrepant. Ex heroum enim numero, qui prius contra Thebanos bellum gesserunt, in Iliade Tydeus, Polynices, Eteocles, Adrastus nominantur [10]). At primum eo Odysseae loco, de quo disputavimus, Amphiaraus nominatur dux fortissimus, vates clarissimus, interitum cladenque praevidens. Ab Eriphyla uxore perfida proditus [11]) aequo animo mortem a diis sibi praenunciatum oppetit, heroibus certam perniciem immi-

9) Nitzsch Sagenpoesie der Griechen p. 130.

10) His adnumerandi sunt (cf. Il. II, 560) Capaneus et Mecisteus Talai filius, quem Adrasti fratrem fuisse posterioris temporis auctores exhibent. Quorum filii Sthenelus et Euryalus, postquam cum Diomede in epigonorum bello militavere, Atridarum signa secuti sunt.

11) Od. XI, 326.

nere vaticinatur, quam propulsare ei non licet. Amphiarai persona belli Thebani species quam tristissima reddita est, neque solum tragici [12]), sed etiam poetae cyclici [13]) — Thebaidem enim cyclicam mira quadam tristitia et acerbitate insignem fuisse traditur, fragmentisque nobis servatis confirmatur — gravissimas partes ei assignaverunt in hoc bello fraterna caede infami. Quae quidem certis lineamentis in Odyssea circumscripta sunt. E verbis [14]) enim

αὐτὰρ Ὀϊκλείης λαοσσόον Ἀμφιάραον (scil. *ἔτικτεν*)
ὃν περὶ κῆρι φίλει Ζεύς τ' αἰγίοχος καί Ἀπόλλων
παντοίην φιλότητ'· οὐδ' ἵκετο γήραος οὐδὸν,
ἀλλ' ὄλετ' ἐν Θήβησι γυναίων εἵνεκα δώρων.

cum versibus [15])

ἴδον στυγερήν τ' Ἐριφύλην
ἣ χρυσὸν φίλου ἀνδρὸς ἐδέξατο τιμήεντα.

coniunctis, mythum illum, qui de Amphiarao egit, iam diu conformatum singulisque partibus excultum Odysseae auctori cognitum fuisse elucet. Neque minus quomodo Amphiarai fata cum rebus Thebanis coniuncta fuerint, constitutum et inveteratum fuisse videtur. Atque hac potissimum in re quid inter utrumque carmen intersit cerni posse arbitror. In Odyssea fabulae ita conformatae exornataeque sunt, ut tragicae poesis initia cognoscantur. In Iliade autem res Thebanae simplicius tractatae et a seriore forma sunt remotiores; neque praetermitti potest, Iliadis poetam in fabularum singulis partibus excolendis confingendisque versari, in Odyssea fabulas omnibus partibus excultas recipi, quarum summa non nisi strictim attingitur.

---

12) Aesch. Sept. 549.
13) Schol. Pind. Ol. VI, 20.
14) Od. XV, 244.
15) Od. XI, 326.

Sed iam ad ea transeamus, quae de Oedipo ipso ab Homero tradita sunt. Itaque primum ad Iliadis verba [16]) accuratius examinanda accedamus. In Patrocli defuncti honorem ludi funebres ab Argivis celebrantur, quibus pugilatu praemia et munera sibi parant Epeus Panopei filius et Euryalus Mecistei filius

Εὐρύαλος δέ οἱ οἶος ἀνίστατο, ἰσόθεος φὼς,
Μηκιστέος υἱὸς Ταλαϊονίδαο ἄνακτος,
ὅς ποτε Θήβασδ' ἦλθε δεδουπότος Οἰδιπόδαο.

De verbis *δεδουπότος Οἰδιπόδαο* cum multas easque diversas sententias viri docti proposuerint, quid haec verba valeant iam definiendum erit.

Δοῦπος verbum poeticae, vel maxime Homericae linguae proprium sonitum vel clangorem significat quibuscumque rebus excitatum [17]). Sic *δοῦπον ἀκόντων* Il. XI, 364. XVI, 361 *δοῦπον ποδῶν* Od. XVI, 10 *δοῦπον θαλάσσης* Od. V, 401. Genitivo omisso, quibus rebus sonitus reddatur, facile cognoscitur. Il. X, 354. XVI, 635. XXIII, 234. IV, 455. Od. XII, 202. X, 556. Eodem modo a tragicis hoc verbum usurpatur Soph. Ai. 871 *δοῦπον αὖ κλύω*, Eur. Ion. 615 *δοῦπον πυλῶν*, Aesch. Choeph. 371, Eur. Bacch. 513. Sophoclis denique verba afferenda sunt Ai. 634 *χερόπληκτοι δ' ἐν στέρνοισι πεσοῦνται δοῦποι*, in quibus in Latinum sermonem convertendis sensum magis, quam verborum significationem interpretes spectaverunt cum *δοῦποι* idem valere, quod planctus contenderent. Substantivi significationem verbum quoque obtinet: *δουπέω* sonandi vel strependi vim habet, teste Hesychio s. v. *δουπῆσαι*. Itaque Homerus *δούπησεν δὲ πεσών* de heroe usurpat, qui in proelio occisus concidit, terrae sonitum gravi corporis pondere efficiens, Il. V, 42 multisque aliis locis. *Πεσών*

---

16) Il. XXIII, 679.
17) Xenoph. anab. II, 2, 19 *δοῦπος καὶ θόρυβος*.

verbo omisso eandem sententiam poeta exprimere voluit Il. XIII, 426 et alias. Suidas igitur iure *δούπησεν·* inquit, *ἔπεσεν, ὥστε ψόφον ἀπετέλεσε*, neque minus probanda sunt Hesychii verba *δουπῆσαι· ψοφῆσαι, ἐν παρατάξει ἀποθανεῖν. δέδουπε· τέθνηκεν, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἐν πολέμῳ.* Quae cum ita sint, quomodo verba *δεδουπότος Οἰδιπόδαο* in Latinum convertas, non iam incertum erit. Oedipum enim in proelio occisum esse quam clarissime iis significatur. Atque haec quidem explicatio non solum scholiastae, sed etiam Aristarchi auctoritate confirmatur. Scholiasta enim *τὸ δὲ δεδουπότος*, inquit, *ἀντὶ τοῦ τεθνηκότος ἐν πολέμῳ.* Apollonius autem in lexico Homerico haec habet: *δουπῆσαι· ψοφῆσαι, ἐκ δὲ τοῦ παρακολουθοῦντος ἀποθανεῖν πεσόντα ἐν πολέμῳ, ὅθεν καὶ τὸ δεδουπότος Οἰδιπόδαο ἀκούει ὁ Ἀρίσταρχος ἐν πολέμῳ ἀνῃρημένου* [18]).

---

18) Glossographi, qui *δουπῆσαι* de quacumque morte dici contenderunt, neque de ea solum, quae fit cadendo et cum strepitu, ab Aristarcho refelluntur schol. Il. XVI, 822. *δούπησεν δὲ πεσών*, inquit Aristarchus, *ὅτι ἐκ τῶν τοιούτων ἀπεδέξαντο οἱ γλωσσογράφοι τὸ δουπῆσαι ἓν ἀνθ' ἑνὸς ἀντὶ τοῦ ἀποθανεῖν. ἀγνοοῦσι δὲ ὅτι οὐκ ἐπὶ παντὸς θανάτου τάσσει τὴν λέξιν, ἀλλ' ἐπὶ τῶν ἐν πολέμῳ πιπτόντων διὰ τὸν παρακολουθοῦντα ψόφον ἐκ τῶν ὅπλων.* Cf. schol. Il. XIII, 426. Eis denique verbis, in quibus examinandis disputatio nostra versatur. Aristarchus *διπλῆν* apposuit *καὶ πρὸς τὸ δεδουπότος· οἱ γλωσσογράφοι γὰρ ἓν ἀνθ' ἑνὸς τεθνηκότος ἐξεδέξαντο· ἐκ παρεπομένου δὲ νοητέον ὅτι ἤτοι ἐν πολέμῳ τετελεύτηκε, ψοφοῦσι γὰρ οἱ πίπτοντες „δούπησεν δὲ πεσών.“ ἢ κατεκρήμνισεν ἑαυτόν· καὶ γὰρ οὗτος ὁ θάνατος μετὰ ψόφου.* Cf. Eustath. *ἢ ὡς ὑπερπαθήσαντος καὶ κατακρημνίσαντος ἑαυτὸν ἐξ ὕψους.* Priscam fabulam fuisse, Oedipum flagitio patefacto ex rupe sese demisisse cum vix credibile sit, Lehrsium (de Aristarchi studiis Homericis p. 45, 110) assentior, qui et ex Homericorum locorum comparatione et ex Apollonii verbis, *δουπῆσαι* hoc quoque loco de morte in bellica expeditione oppetita dictum esse, concludi posse arbitrabatur.

Aliter Welckerus [19]) verba intellexit. Aristarcheam interpretationem, primum eo refelli dicit, quod *δεδουπότος* cum *ἐς τάφον* coniungendum esse, perspicuum atque manifestum sit [20]). Huc accedere, quod Aristarchi sententia rebus ipsis repugnet. Bellum enim vel proelium, quo Oedipus occisus sit neque commemorari, neque sibi liquere, quomodo in rerum Thebanarum tenorem inseri possit; qua quidem in re Nitzschius et Schneidewinus cum eo consentiunt. Adicit Nitzschius haec: etiam Aristarcho, quo proelio Oedipus interfectus esset, ignotum fuisse, neque quin alio quodam modo eum corruisse coniectaverit se dubitare [21]). Deinde Welckerus Pausaniae testimonium [22]) affert, qui Iliadis verba in hunc modum explicat: *Μηκιστέα*, inquit, *τελευτήσαντος Οἰδίποδος ἐπιτάφιον ἐλθόντα ἐς Θήβας.* Quocum convenit scholiasta. Scholia enim *ἐν Θήβαις Οἰδίποδος ἀποθανόντος* Argiam Adrasti filiam Thebas venisse ex Hesiodo afferunt. Scholiastam autem Aristarcho rebus ad mythologiam spectantibus praestitisse sibi videri. Apud Alexandrinos denique poetas [23]) *δεδουπώς* participium mortem simplicem et naturalem haud raro significare. At contra Homerum talem Oedipum descripsisse, ut *δεδουπώς* verbum de morte eius bene dictum sit, neque inepte vernacula voce *„erliegen,“* quae poeta voluerit reddi posse: multis enim gravibusque calamitatibus superatis, adversa fortuna afflictum tandem collapsum esse Oedipum, *„der hochgemuthe Heldenkönig.“*

Haec cum non sine specie probabilitatis a Welckero disputata sint, nego tamen recte disputata esse. Nam pri-

---

19) Allg. Schulzeitung 1832, II. p. 129. Ep. Cycl. II. p. 329.

20) Hanc verborum inter se coniungendorum rationem iure Nitzschius vituperat (Anm. zur Od. III. p. 240) et Schneidewinus (Sage vom Oedipus p. 167 et Philol. III. p. 257.)

21) Cf. not. 18.

22) Paus. I, 28, 7.

23) Apoll. Rhod. I, 1304 *Πελίαο δεδουπότος.*

mum poetas aetate posteriores nonnullis verbis, quae quondam certam significationem obtinuerunt, aliam sententiam eamque minus definitam subiecisse, facile cognoscitur multisque exemplis confirmatur. Quod cum consulto et cogitate ab Alexandrinis poetis susceptum sit, iam patet, in talibus quaestionibus diiudicandis nullam auctoritatem eis tribuendam esse. Tum e scholiastae verbis, quomodo apud Hesiodum Oedipus mortuus sit concludere licet, non licet concludere, quomodo apud Homerum mortuus sit. Quae autem de scholiasta ipso Welckerus disseruit, quis est, qui argumentis comprobet? Ceterum quaestio non tam ad mythologiam, quam ad linguam pertinet, ibique Aristarchum summum arbitrum esse, inter omnes constat. Pausaniae denique verba non tanti sunt habenda. Fabulas enim ab aliis aliis temporibus commutatas esse, intelligere omnino non potuit, ut illo ipso loco, de quo disputatur, quam luculentissime demonstrat. Nobis autem de fabulis ab aliis aliter conformatis confictisque non eodem modo, quo Pausanias iudicavit, cogitandum esse arbitror.

Neque vero Oedipum proelio occisum fuisse cum Odysseae loci [24]) natura atque indole congruit. Oedipus enim postquam cognovit, quanta facinora perpetraverit patris caede matris conubio in lucem prolatis, *ἄλγεα πάσχων* non solum vivere, vero etiam regnare pergit. Epicaste autem mortem sibi conscivit,

τῷ δ' ἄλγεα κάλλιπ' ὀπίσσω
πολλὰ μάλ,' ὅσσα τε μητρὸς Ἐρινύες ἐκτελέουσιν.

Oedipus igitur contra naturae ipsius leges se peccasse sibi conscius summisque animi cruciatibus conflictatus, vitam degit quam tristissimam *θεῶν ὀλοὰς διὰ βουλάς*. Quae cum iterum ac saepius dicta sint, Cadmeorum imperatorem, patriae propugnatorem Oedipum vitam amisisse, non

24) Od. XI, 271.

est cur credamus. Quin etiam persuasum mihi est, totius fabulae speciem hoc loco commutatam eiusque naturam conversam esse; verbis autem *δεδουπότος Οἰδιπόδαο* perantiquae fabulae memoriam retineri. Cuius fabulae quaenam fuerit species, Oedipi mores in ea quales fuerint, quales fortunae, qualis rerum Thebanarum conditio, certis lineis cum nullo modo describi possit, coniectandi ansam nobis praebet. Qua quidem in re ad exitum disputationis ab omnibus probatum nos pervenire non posse, immo vero multa ambigua et incerta remanere, vix est cur moneamas. Neque mirum id quidem. Attamen quae nobis visa sunt, paucis adumbrare liceat.

Iam primum id significemus oportet, quantum ad excolendam et adornandam fabulam Oedipodeam poetae contulerint, etiam nunc cognosci ex eis, quae nobis servatae sunt, tragoediis Aeschyleis et Sophocleis. A Laio enim Labdacidarum scelerum initium factum esse, Oedipum diis invitis procreatum, Furiisque sacrum, paternae impietatis poenas pertulisse Aeschylus finxit. Summis autem calamitatibus gravissimisque fortunae tormentis patris scelera cum expiasset, deorum sibi inimicorum iram placavisset, in Eumenidarum nemore Oedipus mortem obiit sibi gratissimam, mortuus Athenarum quasi arx atque praesidium exstitit. Quae hoc modo a Sophocle, clarissimo venustissimoque Atheniensium poeta excogitata atque depicta sunt, si cum Odysseae loco supra allato comparaveris, quantum inter utriusque poetae tempus et indolem intersit; de hac re vix ulla remanebit dubitatio. Hominem enim scelestum a numine quondam sibi infesto et irato in gratiam receptum fuisse, nusquam apud Homerum invenimus, immo vero Oedipum summae iniuriae sibi conscium summisque animi cruciatibus perculsum. Cyclicorum quoque poetarum carmina singularem fabulae formam et ab aliis diversam exhibuerunt. Oedipum senem, fortuna gravi et adversa conflictatum, filiorum

impietate concitatum, filiis mutuam caedem, excidium urbi minitantem, qualem Thebais descripsit, mirum quantum ad commovendos animos valuisse, cogitatione tibi effingas.

Quae cum ita sint, neque in sola fabula Oedipodea, sed in omnibus fabulis similem rationem intercedere appareat, quae fuerit huius rei causa, iam quaeramus. Quae quidem in eo posita esse mihi videtur, quod fabulae a singula quadam stirpe non iam recondebantur, sed a poetis apud omnes pervulgabantur, neque quisquam dubitabat, pro suis viribus fabulis excolendis augendisque operam navare. Vetustissima autem fabularum forma, cum multo simpliciorem certaeque regioni eam propriam fuisse consentaneum sit, vel ab historia antiquissima, vel a natura ipsa profecta esse videtur. Atque Oedipi quidem personam ad historiam referendam esse, equidem non puto, quamvis cum bellis Thebanis arctissime eum coniunctum exhibuere scriptores aetate inferiores. Neque magis quae a Prellero proposita sunt, probanda et accipienda mihi esse videntur. Prellerus [25]) enim haec habet: *„Möglich, dass auch in der Oedipussage alte Allegorien des Naturlebens zu Grunde liegen, — in welchem Falle also Oedipus der an den Füssen Verstümmelte, der Geblendete, der seinen Vater Tödtende, seiner Mutter Vermählte im Sinne des ältesten Mährchens, eine Personification des Winters gewesen sein würde* [26])."

25) Griech. Mythol. II. p. 343.

26) Prellerus exempli gratia ea affert quae apud nostrates de hieme dicta sunt: (cf. Grimm deutsche Mythol. p. 725.) *„Der Winter hat's verloren, der Winter liegt gefangen, dem Winter gehn die Augen aus."* Sed cum in eo solum Oedipodea fabula cum his locutionibus conveniat, quod oculis privatus uterque exhibetur, quod num genuina fabula Thebana habuerit, neque certum est, neque exploratum, Prelleri sententiam repudiandam esse censeo. Adicit Prellerus haec: ***„Der Winter tödtet seinen Vater, weil Winter und Tod wahl-***

Attamen Oedipodeam fabulam ad naturam spectare, ego quoque censeo. Cuius rei documentum Sphingem esse contendo, de qua, quantum veterum testimonia inter se differant, quot sententias inter se vel maxime contrarias visi docti proposuerint, vix est cur moneamus. Quae cum ita se habeant, hoc loco totam quaestionem perscrutari non licet, quippe quae huius dissertationis terminos longe excederet. Pauca sufficiant.

Sphingem Thebanorum iuvenes interficientem nihil esse, nisi vim naturae perniciosam atque funestam, ex eis artificiis concludi posse mihi videtur, de quibus O. Iahnius [27]) quam doctissime disseruit [28]). Confirmantur quae modo coniecimus Aeschyli verbis, quem Sphingis aenigma in tragoidia septem ad Thebas inscripta nusquam commemorasse, satis mirum est. At perantiquae fabulae vestigia eis verbis latere puto, quibus chorus [29]), quanta auctoritate Oedipus praeditus fuerit Sphinge occisa pronuntiat:

verwandt sind, und befruchtet als χειμών seine eigne Mutter, die Erde." Sed neque terram matrem ab hieme gravidari, neque naturam ab hieme filio interfici, satis perspicuum est, cum hiems ipsa natura mortua sit. Exempla denique e mythologia petita ad rem non quadrant. Pentheum Thebarum regem et *κρατερὸν Λυκόοργον* Thracum principem, qui cum Baccho, deo forma insigni florentissimaque aetate praestanti i. e. veri orbem terrarum introeunti resistere conarentur, luctuosa morte perierunt, cum hieme Prellerus recte comparavit, procellis nivosis frigidisque auras vernas et calidas coercente. Sed longe aliter in fabula Oedipodea res se habet.

27) O. Iahn Archaeol. Beitr. p. 112 sqq.

28) Omitto, quae de Sphinge Forchhammerus coniecit (Die Sphinx eine mythologisch-archäologische Abhandlung. Kiel 1852.) Neque magis quae proposuit de Lasaulx (Ueber den Sinn der Oedipussage. Würzburg 1841) respicienda sunt. Cf. Hegel Philosophie der Religion I. p. 376. II. p. 115, 128. Philosophie der Geschichte p. 228.

29) Aesch. Sept. v. 757.

τίν' ἀνδρῶν γὰρ τοσόνδ' ἐθαύμασαν
θεοὶ καὶ ξυνέστιοι πόλεως, ὁ
πολύβοτος τ' αἰὼν βροτῶν,
ὅσον τότ' Οἰδίπουν τίον,
τὰν ἁρπαξάνδραν
κῆρ' ἀφελόντα χώρας;

Adicienda sunt verba, quae de Parthenopaeo Argivorum duce dicta sunt[30]):

τὸ γὰρ πόλεως ὄνειδος ἐν χαλκηκάτῳ
σάκει, κυκλωτῷ σώματος προβλήματι,
Σφίγγ' ὠμόσιτον προσμεμηχανημένην
γόμφοις, ἐνώμα, λαμπρὸν ἔκκρουστον δέμας.
φέρει δ' ὑφ' αὑτῇ φῶτα Καδμείων ἕνα[31]).

Oedipodea autem fabula antiquissimis temporibus in eo versata esse videtur, ut Oedipus periculi a Sphinge Thebanis parati vindex, salutis auctor praedicaretur. In Oedipi persona utrum naturae vis celebrata fuerit, qua pernicies illa sublata est atque extincta, an homo ipse, qui ingenio suo naturam et naturae vires in suam redigit ditionem — quod quidem Sphingis aenigmate fortasse significatur — haec in incerto relinquamus. Nam quis est, qui fabularum origines plane perspicere velit?

30) Ibid. v. 520,

31) Eodem fere modo Oedipodea, epicum illud Ciuaethonis carmen Sphingem descripsit iuvenes auferentem,

ἀλλ' ἔτι κάλλιστόν τε καὶ ἱμεροέστατον ἄλλων
παῖδα φίλον Κρείοντος ἀμύμονος Αἵμονα δῖον.

Conferenda sunt similia, quae a scriptoribus aetate posterioribus enarrantur. Arg. Eur. Phoen. p. 395 ed. Nauck. Schol. Eur. Phoen. 45. Apollodor. III, 5. 8. Eustathius ad Od. XI, 270 haec habet: ὅτι δὲ ἄλλως καὶ ἄλλως τὰ κατὰ τὸν Οἰδίποδα καὶ Λάϊον λέγεται, δῆλον μὲν ἐξ ἄλλων, οὐχήκιστα δὲ καὶ ἐκ τοῦ ἱστορήσαντος, ὅτι γυνή τις ἦν, εἰδεχθὴς περί που Βοιωτίαν, ληστρικὴ καὶ φονία, ὡς Παλαιφάτῳ δοκεῖ. Οἰδίπους δὲ ἀνεῖλεν αὐτὴν προσποιησάμενος φιλίαν καὶ συμμαχίαν, ὅθεν ἐτιμήθη ἄγαν ὑπὸ Θηβαίων.

Quis est, quem fugiat, fere omnia de hac materia quantumvis ingeniose excogitata, certis argumentis fere nunquam probari posse? Nos iam ea bene tueamur, quae ab antiquissimis fabularum auctoribus nobis tradita sunt, praesertim si certa nobis proponitur fabularum forma ac proprie exculta. Atque id quidem in Iliadis verba, a quibus disputatio nostra exorsa est, valere mihi videtur. Oedipum enim bello interfectum, patriae conservatorem, periculi vindicem, civium praesidium nobis effingamus necesse est, qui postquam tanta beneficia in civitatem contulit, mortem quoque pro patria lubentissime oppetit. Oedipus patriae propugnator ludis funebribus quam splendidissimis a civitate celebratur, qui vix editi fuissent, si tantis sceleribus atque miseriis contaminatus fuisset, quantis auctores aetate inferiores eum descripserunt. Oedipus periculi vindex carminibus praedicatur vel hymnis inter propulares decantatis, qui quanta pericula subierit, quanta decora in se contulerit, enarrant.

Neque horum carminum neque antiquissimae illius Oedipodeae fabulae memoria plane exstincta est. Nam ea, quae a scholiasta ad Euripidis Phoenissas[32]) de Corinna poetria nobis tradita sunt τίνες δὲ καὶ τὴν μητέρα ὑπ' αὐτοῦ (Οἰδίποδος) ἀνηρῆσθαι, ἀνελεῖν δὲ αὐτὸν οὐ μόνον τὴν Σφίγγα, ἀλλὰ καὶ τὴν Τευμησίαν ἀλώπεκα[33]), ὡς Κόριννα, Oedipum a poetis indigenis aetate posterioribus Thebarum conservatorem, periculorum vindicem celebratum fuisse demonstrant. Teumesia enim vulpes cum non solum agrorum vastatione sed etiam civium multorum

32) Schol. Eur. Phoen. 26. cf. poetarum lyricorum Graec. corpus ed. Bergk p. 949.

33) De Teumesia vulpe disseruerunt et quae nobis tradita sunt collegerunt Valckenaer ad Eur. Phoen. 1107, Leutsch Theb. cycl. rel. p. 69 sq., Unger Theb. parad. p. 400 sqq., Welcker ep. Cycl. II. p. 393.

caede funesta fuerit, cum Sphinge recte comparatur[34]), neque ab Oedipodeae fabulae specie, qualem modo udumbravimus, abhorrere videtur, hanc quoque perniciem ab urbe patria Oedipum amovisse. Quae cum ita sint, iam apparet antiquissimam illam fabulam Oedipodeam carmine illustratam fuisse. Cuius fabulae notitiam poetria Boeotia ex iisdem illis carminibus repetivit, quae Iliadis auctor secutus esse videtur.

Quibus examinatis perpensitatisque alia quaestio oritur. Welckerum enim et Schneidewinum in eo summopere peccasse vidimus, quod quae in Iliade de Oedipo tradita sunt cum Odysseae verbis coniunxerunt, inter se coniuncta ad restituendam Oedipodeam fabulam adhibuerunt, qualem Homero notam fuisse arbitrati sunt. Nos autem aliter comparatum esse Iliadis locum, aliter Odysseae, ideoque disiungendos esse, disiunctos examinandos, iterum ac saepius monuimus. Sed iam quaeramus oportet, et quaenam ratio inter utrumque locum intercedat, et quid de Odysseae loco iudicandum sit.

Homerica carmina quo tempore orta sint, quomodo composita et in formam redacta nobis notam, inde a Fr. A. Wolfio etiam atque etiam viri docti perscrutati sunt, neque fieri potuit, quin in sententias discederent diversas atque contrarias. In tanta rerum difficultate et ambiguitate lubentissime virum secuti sumus, qui ingenii acumine, sanitate iudicii de horum studiorum parte summis difficultatibus impedita optime meritus est. Fr. Lauerus enim de undecimi Odysseae libri forma germana et patria quaestionem[35]) adortus, *Νεκυίαν* singulare quondam carmen fuisse atque eo demum tempore inter librum decimum et

34) Unger Theb. parad. p. 401.

35) Fr. Lauer quaestiones Homericae I. Berolini 1843.

duodecimum positum esse confirmavit, quo singula carmina Ulixis fabulam celebrantia in unum corpus coalescere inceperint Quod quidem carmen sive a Boeoto sive inter Boeotos compositum esse luculentissimis argumentis e forma non solum, sed etiam e materia[36]) huius carminis repetitis, demonstrasse mihi videtur. Itaque pauca tantummodo sunt adicienda.

In Odyssea fabellas quasdam a nautis confictas cum mythis coniunctas esse, neminem fugiet, qui totius carminis compositionem accuratius consideraverit: Laestrygones enim, Cyclopes, Circe, Calypso, Sirenes, Aeolus, Phaeaces non tam ad mythum pertinent, quam ad hasce fabellas a populo rei navali dedito excogitatas atque excultas. Quibus fabellis *Νεκυία* quoque adnumeranda est, quippe quae Ulixem tantis periculis perfunctum, tam variis casibus iactatum, iam inceptum illud audacissimum summumque periculum subeuntem describat. At in eo gravissima differentia inter *Νεκυίαν* et reliquas Odysseae rhapsodias posita esse mihi videtur, quod ille in Orcum descensus, fabella a nautis conficta, cum suae patriae mythis a poeta exornata est. Quod quidem certo consilio factum esse, eo luculentissime poeta demonstravit, quod catalogum feminarum carmini interseruit.

In Orci descriptione quanta simplicitate atque tenuitate Homerus usus esset, recte animadvertit Nitzschius[37]). Nullam fluminum mentionem iniecit Orcum cingentium, nullam Charontis, nullam Cerberi. Nondum Minos mortuorum iudex exstitit; neque heroum *ἀποθεώσεως*[38]),

36) Omnes personas in catalogo feminarum nominatas e Minyarum Thebanorumque fabulis esse desumptas recte animadvertit Lauerus.

37) Anmerkungen zur Odyssee III. p. 180. Exempli gratia ea afferuntur, quae apud Lucianum de luctu §. 2—9 de Orco enarrantur.

38) v. 602—604 a diasceuastis interpositas esse Lauerus do-

neque supplicii post mortem subeundi [39]) notitiam habet. Ulixes postquam cum Tiresia, matre, amicis sociisque belli Troiani collocutus est, feminas quasdam conspicatur; quae cum nullo vinculo cum Ulixe coniunctae sint, ad exornandam atque amplificandam Orci discriptionem inductas esse censeamus oportet. Sed in hoc subsistere non licet. Inseruit poeta κατάλογον γυναικῶν propter auditorum erga patrias fabulas amorem. Auditoribus enim delectationem quandam afferre studuit iis personis, quae gratae et notae iis fuerunt, carmine suo describendis. Immo vero auditores personas non modo sibi cognitas, verum etiam populares in tali Orci descriptione, qualem Νεκυία proposuit, reperire cupiebant. Quae cum ita sint, nonne mirum nobis videtur, in mera feminarum quarumdam enumeratione poetam substitisse. Ad quam rem explicandam haec dicit Nitzschius [40]): *„Homer schöpfte die von ihm besungene Heldensage aus ausgeführteren anmuthigen Heldenliedern einer- und genealogischen Liedern, Genealogien oder Katalogen andererseits. Diese Kataloge enthielten erstlich die heroische Adelskunde, sodann aber gewährten sie dem sagenkundigen Leser das Interesse ihn mittelst einer Reihe kurz verzeichneter Heldengeschlechter an eine ganze Masse von Geschichten aus der Vorzeit zu erinnern. — Weil aber die vortroische Heldensage dem Dichter der Odyssee hier eben in Katalogen von Heldenfrauen vorlag, darum allein that er so, wie er gethan hat."* At qui factum est, ut Homerus catalogum illum feminarum solum talis poesis exemplum proponeret? Quomodo explicari potest, nullo alio loco talem auctorem eum secutum esse? Nonne cata-

cuit l. l. p. 26. De Castore et Polluce quae v. 300—304 dicta sunt, ab Homero esse abiudicanda. inter omnes constat cf. Lauer. l. l. 50.

39) v. 572 - 600 cum veteribus Grammaticis et plerisque criticorum recentiorum pro suppositiis habendi sunt. cf. Lauer l. l. p. 53.

40) Anm. zur Od. III. p. 227.

logus ille feminarum singularem locum obtinet in Homericorum carminum conexu? Νεκυίαν a Boeoto compositam esse sive inter Boeotos a Lauero demonstratum est. In quam sententiam iis quoque argumentis, quae in Νεκυίας forma posita sunt, se trahi, hisce verbis declaravit: „Feminarum, inquit, catalogus, qui in nostro libro inest, Boeotorum illam consuetudinem in mentem nobis revocat, qua fabulas ita memoriae tradiderunt ut non singulas heroum res gestas enarrerent, sed feminas potissimum, quae heroes insignes peperissent, recensentes, leviter tantum attingerent. Cuius consuetudinis exemplum habemus Hesiodi illud carmen, quod κατάλογοι γυναικῶν vel ἠοῖοι erat inscriptum." Hesiodeae igitur poesis initia in illo catalogo cognoscere licet. Hesiodi autem carminum ratio quantum ab Homerica distet, inter omnes notum est. Fabulas denique, quae in catalogo feminarum nobis traditae sunt, ad certum quendam finem perductas omnibusque partibus excultas a poeta receptas fuisse, neque iam ab eo auctas esse atque conformatas, ex ipsa narratione quam clarissime elucet. Cum enim fabularum summas tantum poeta attingat, fabulas non solum ei ipsi, verum etiam auditoribus tales cognitas fuisse apparet, quales ab eo adumbratae sunt; ideoque fabulas ab eo receptas iam ab aliis in carminibus heroicis enarratas explicatasque fuisse perspicuum est.

Quae carmina, cum a poeta hoc modo excerpta et exscripta sint, ab antiquissimis illis hymmis vel dei vel herois cuiusdam laudes praedicantibus, de quibus supra dictum est, longe diversa fuisse videntur, quippe quae non iam certae regioni propria fuerint, neque iam ab una quadam stirpe recondita ac servata sint, sed omnium facta et ab omnibus decantata. Fabularum eadem ratio est. Quae cum a poetis inter omnes pervulgarentur ita commutatae et conformatae sunt, ut non iam ad regionis cuiusdam naturam vel historiam spectare viderentur, verum speciem

inducerent omnibus gratam et acceptam. Quae autem in *Νεκυίας* catalogo enarrantur, quamvis a Boeotio poeta e patriae historia fabulari desumpta sint, tamen genuinam fabularum formam non exhibent, sed excultam et a poetis epicis commutatam.

Sed paucis complectamur, quae modo sunt exposita. *Νεκυίαν* singulare quondam carmen fuisse a Boeoto sive inter Boeotos compositum, Lauerus demonstravit. Quod carmen ab alio poeta conditum esse atque Iliadis, iam inde sequitur. At non solum ab alio poeta, sed etiam alio tempore ortum esse atque Iliadem, ex eis apparet, quae de natura et indole huius carminis disputata sunt. A totius Odysseae compositione, qua fabellae quaedam populares cum mythis ad Ulixis reditum pertinentibus coniunctae sunt, *Νεκυία* non discrepare nobis visa est. *Κατάλογον* illum *γυναικῶν* ad exornandam et amplificandam Orci descriptionem poetam interseruisse exposuimus. Qui catalogus, cum e carminibus ab Homericis multum discrepantibus haustus sit, neque iam ab Hesiodeae poesis ratione alienus esse videatur, sine dubio multo seriore tempore quam Ilias ortus est. *Νεκυίας* autem poeta Oedipodeae fabulae auctor nobis exsistit; qui quidem num eandem fabulae formam nobis tradiderit, quam ex Iliadis verbis cognosci coniecimus, nunc examinandum atque diiudicandum erit.

Ad singula iam transeuntes, miramur, quantum de verbis ipsis interpretes suspicati sint. Ex uberrima epicorum carminum tragoediarumque multitudine, quibus res Thebanae illustratae fuerunt, pauca tantum exstant. Perierunt poetarum cyclicorum carmina, perierunt Aeschyli tragoediae cum septem ad Thebas trilogia coniunctae. Tot igitur testibus deficientibus Homeri verba antiquissimum Oedipodeae fabulae testimonium nobis servata sunt.

Ex hisce verbis autem Oedipodeae carminis illius cyclici qui fuerit color, quae fuerit compositio concludi posse arbitrabatur Welckerus noster vir summe venerabilis. Hisce verbis Aeschylearum tragoediarum quasi lineamenta contineri. Cum autem et carminibus epicis et tragoediis restituendis operam daret, Homeri verba aliorum auctorum locis in enarranda Thebana fabula versantibus explicare et supplere non dubitavit. Quo factum est, ut ea, quae ab Homero tradita sunt, nunquam separatim examinarentur neque constitueretur, qualem Homerus Oedipodeam fabulam descripserit.

Verba autem haec sunt [41]):

Μητέρα δ' Οἰδιπόδαο ἴδον καλὴν Ἐπικάστην,
ἣ μέγα ἔργον ἔρεξεν ἀϊδρείῃσι νόοιο
γημαμένη ᾧ υἱεῖ· ὁ δ' ὃν πατέρ' ἐξεναρίξας
γῆμεν· ἄφαρ δ' ἀνάπυστα θεοὶ θέσαν ἀνθρώποισιν.
ἀλλ' ὁ μὲν ἐν Θήβῃ πολυηράτῳ ἄλγεα πάσχων
Καδμείων ἤνασσε θεῶν ὀλοὰς διὰ βουλάς·
ἡ δ' ἔβη εἰς Ἀΐδαο πυλάρταο κρατεροῖο,
ἁψαμένη βρόχον αἰπὺν ἀφ' ὑψηλοῖο μελάθρου,
ᾧ ἄχεϊ σχομένη· τῷ δ' ἄλγεα κάλλιπ' ὀπίσσω
πολλὰ μάλ', οσσα τε μητρὸς Ἐρινύες ἐκτελέουσιν.

Ac primum quidem quae de nominis forma *Οἰδιπόδης* disputata sunt, perscrutemur necesse est. Tum autem, quantum nominis etymologia ad perspiciendum fabulae conexum conferat, quaerendum erit.

A. Welckero igitur initium sumamus. Qui quidem in fabulis Thebanis personarum mores ac sortes cum ipsis nominibus expressi sint [42]) *Οἰδίπους* quoque nomen certam significationem exhibere dicit his verbis [43]): *„Oedipus scheint nach dem Umstande, worauf sein Name von den*

---

41) Od. XI. 271.
42) cf. Aesch. Tril. p. 355 sqq.
43) cf. Ep. Cycl. II. p. 321. Allg. Schlz. 1832. II. p. 113.

Alten bezogen wird, und welcher mit der übrigen Sage so eng verbunden erscheint, wirklich Schwellfuss zu sein" [44]). Quam sententiam patronymica nominis forma *Οἰδιπόδης* [45]), qua Homerus et Hesiodus [46]) usi sint, quam maxime confirmari. Patronymicam enim formam neque in universum poeticae linguae proprium, neque temere ac fortuito a poetis adhibitam esse, sed certae nominis significationis indicandae causa. Cuius consuetudinis exempla affert nomina *Κυλλοποδίων*, *Δευκαλίων*, *Κηδαλίων*, *Ἀσφαλίων*, quibus patronymicam formam a Graecis haud raro positam esse, demonstrasse mihi videtur, id autem consulto et cogitate factum esse, non demonstravit. Neque magis eis quae afferuntur nominibus appellativis Welckeri sententia sustinetur: nam haec verba non patronymica forma, sed ipsa compositione certas notiones easque peculiares exhibere, quam luculentissime ex Alcaei fragmento elucet, in quo formae simplices et patronymicae sine ullo significationis discrimine iuxta positae sunt. Alcaei verba a Diogene Laertio [47]) servata sunt: *Τοῦτον* (*Πιττακὸν*) inquit

---

44) Probavit Welckerus nominis etymologiam a plerisque acceptam. Ac re vera *Οἰδίπους* nomen ex *οἰδ* (*οἰδάω*, *οἰδαίνω*, *οἰδέω*, *οἴδημα*) atque *ποδ* sive *ποῦς* verbo compositum esse videtur.

Schwenckius (in adnot. ad hymn. Hom. p. 243 cf. Gr. Mythol. p. 531) Sphingis aenigma ab Oedipo solutum fuisse, nomine significari contendit. *Οἰδίπους* nomen igitur cum ab *Οἶδας* nomine (cf. Etym. M. p. 465, 10) derivandum sit, id esse quod nos dicimus „*Der Wissende.*" (cf. Soph. Oed. Tyr. 397) Doederlinus autem nomen ab *οἴδιψ* *οἴδιπος* verbo, quo homo tumidus vel iracundus significetur ductum esse putavit. Rankius denique nomen ex *οἰ* atque *δίπους* compositum esse et in hunc modum „*zum Wehe ein Mann*" verti posse opinatus est. Quae quidem virorum doctorum coniecturae cum certis fundamentis careant, iure a Welckero repudiatae sunt.

45) cf. Welcker sylloge epigr. Gr. p. 138.

46) Hesiod. Erg. 162.

47) Diog. Laert. I, 81. cf. corpus poet. lyr. Gr. ed. Bergk p. 715.

Ἀλκαῖος σαραπόδα μὲν καὶ (*ἢ* l. Bergk) *σάραπον ἀποκαλεῖ διὰ τὸ πλατύπουν εἶναι καὶ ἐπισύρειν τὼ πόδε, χειροπόδην δὲ διὰ τὰς ἐν τοῖς ποσὶν ῥαγάδας, ἃς χειράδας ἐκάλουν, γαυρίκα δὲ ὡς εἰκῆ γαυριῶντα, φύσκωνα δὲ καὶ γάστρωνα, ὅτι παχὺς ἦν, ἀλλὰ μὲν καὶ ζοφοδορπίδαν, ὡς ἄλυχνον, ἀγάσυρτον δὲ ὡς ἐπισεσυρμένον καὶ ῥυπαρόν.* Recte igitur Passowius [48]), Eustathii [49]) verbis nisus *πολλάκις πατρωνυμικῷ τύπῳ κύριον δηλοῦται ὡς Εὐριπίδης, Μιλτιάδης, Ἡρακλείδης*, patronymica apud Graecos saepissime verborum simplicium loco poni iudicavit multisque exemplis confirmavit, significationis autem differentiam exstare negavit.

At iam quaerendum est, num *Οἰδιπόδης* forma re vera patronymica sit. Godofredus Hermannus [50]) Eustathium [51]) auctorem secutus fragmentum illud Thebaidis cyclicae ab Athenaeo [52]) nobis servatum in hunc modum emendavit:

πρῶτα μὲν Οἰδιπόδῃ (*Οἰδίποδι* l. mss.) *καλὴν παρέθηκε τράπεζαν.*

Ita se scripsisse dicit, primo quia periti poetae sit, de duabus formis eam praeferre, quae accomodatior numeris sit, deinde quia *Οἰδίποδι* prosae orationis, *Οἰδιπόδῃ* poeticae sit. *Οἰδιπόδης* igitur patronymicum esse negavit Hermannus. Atque iure id quidem. Attamen viro illo sagacissimo doctissimoque concedere non possum,

---

48) Passow opusc. p. 184 et 303 sqq. cf. Lobeck Aglaoph. 981. Meineke ad Theocr. XVIII, 5. Lobeck ad Soph. Ai. 880. O. Iahn Archaeol. Beitr. p. 113.

49) cf. schol. ad Pind. Pyth. 6, 4 et ad Theocr. idyll. VII, 20.

50) G. Hermann in commentatione de trilogia Thebana conscripta p. 8 (opusc. VII, 196).

51) Eustath. ad Od. p. 1648, 20 haec *ὁ δὲ Οἰδίπους*, inquit, *καὶ Οἰδιπόδης λέγεται ποιητικῶς.*

52) Athen. XI, 465 F. cf. Leutsch Theb. cycl. rel. p. 38. Welcker ep. Cycl. II. p. 334 et 550.

Οἰδιπόδης formam poeticam tantum esse [53]). Immo vero genuina nominis forma fuisse mihi videtur. Nomina enim propria, quae eadem ratione formata sunt, qua Oedipi nomen, cum e syllabis primitivis semper derivanda sint, οἰδ et ποδ syllabas pro elementis habendas esse apparet, e quibus Oedipi nomen compositum atque conformatum est. E syllaba autem primitva ποδ vel ων vel ης vel ος syllabis adiunctis nomen proprium formari potuit. Quorum nominum et Πόδων [54]) et Ποδῆς [55]) in usu fuisse nobis traditum est. Eadem autem ratio intercedit in nominis Οἰδιπόδης formatione. Neque in nominibus propriis solum, sed in aliis quoque verbis e ποδ syllaba primitiva conformatis, hanc formandi legem observatam esse cognoscere licet. Sic τριπόδης Hes. erg. 423 ἑπταπόδης Il. XV, 729. Hes. erg. 424 χειροπόδης Alcaeus fr. 38 Bergk. [56]) Si autem haec comprobaveris, Οἰδιπόδης nomen neque patronymicum esse, neque certo consilio positum, tibi persuasum erit. Immo tantum abest, ut Οἰδιπόδης pro Οἰδίπους ad explanandam atque enucleandam nominis significationem positum sit, ut Οἰδίπους pro Οἰδιπόδης ea ipsa de causa posteriore tempore usurpatum esse contendam.

---

53) Inscriptiones in duobus vasis pictis repertae, ΟΙΔΙΠΟΔΕΣ atque ΟΙΔΙΠΟΔΑΣ formas ab aliis quoque, neque solum a poetis usurpatas esse demonstrant. cf. O. Iahn Arch. Beitr. p. 113. Apud tragicos, prout ad certam quandam pedum necessitatem alligati erant, aut Οἰδιπόδης (Aesch. Sept. 732, 1041. Soph. OC. 222. Ant. 380. Eur. Suppl. 835. Phoen. 353) aut Οἰδίπους (Aesch. Sept. 756. Soph. OC. 625, 640, 740, 1395. Eur. Phoen. 50, 60, 288, 475) aut Οἴδιπος (Aesch. Sept. 184, 955. Soph. OR. 40, 925, 1207. Eur. Phoen. 254, 283, 379) reperiuntur.

54) Suidas s. v.

55) Il. XVII, 575.

56) τρίπους (Il. XVIII, 344, 346. Od. VIII, 434) πολύπους (Od. V. 432 hymn. Apoll. 77), εἰλίπους (Il. VI, 424. Od. I, 92.)

Haec hactenus. In eo cum Welckero consentio, Oedipi nomen confictum esse et a poetis conformatum, ideoque ad certum quendam vitae casum spectare. At quinam fuerit ille casus, quid ad rerum progressum constituendum contulerit, quis est, qui e sola nominis significatione colligere velit? Oedipi res quales a Sophocle [57]) tragicorum principe summa arte descriptae atque compositae et inter se coniunctae sunt — Oedipum dico pedibus mutilatum, a parentibus expositum, per pastorem morte ereptum, a Polybo et Meropa Corinthi educatum — a poetis Homero superioribus praeformatas esse, quis est, qui argumentis comprobet? Id solum a poeta commemoratur, Epicastam ἀϊδρείῃσι νόοιο cum filio matrimonio sese iunxisse. Oedipum igitur procul a patria atque parentibus adoluisse, peregrinum Thebas introiisse, poetae cognitum fuit.

Sed Homeri versus iam persequamur. Ac verba quidem

ἄφαρ δ' ἀνάπυστα θεοὶ θέσαν ἀνθρώποισιν.

diligentius tractanda sunt examinandaque, quippe quae antiquitus disceptandi ansam praebuerint. Oedipi liberos enim fabulis Thebanis celebratos, Eteoclem, Polynicem, Antigonam, Ismenam, num ex Epicasta matre genitos auctor carminis putaverit necne, cum ἄφαρ verbo diiudicetur, de huius verbi significatione saepe disputavere interpretes, neque fieri potuit, quin in varias sententias easque inter se contrarias discederent. Ac primum quidem scholiasta [58]) ἄφαρ, inquit, οὐκ εὐθέως, ἐπεὶ πῶς ἔσχε παῖδας; ἀλλ' ἐξαίφνης. Quae quidem ἄφαρ verbi explicatio unde nata sit, facile cognoscitur. Scholiasta enim ad explicandam Homericam Oedipodeae fabulae descriptionem ea

---

57) cf. Aristoph. ranae v. 1182 sqq.

58) Schol. ad Od. XI, 270. cf. Eustath. ad Il XI, 419. XVII, 282 p. 1107, 39.

affert, quae ab Androtione [59]) historico de hac re enarrata erant. Quae narratio cum e tragoediis potissimum desumpta sit, mythorum formam a tragicis propositam exhibet ideoque liberorum ab Oedipo ex Epicasta procreatorum mentionem inicit. Scholiasta igitur cum pugnantia proferre nollet, *ἄφαρ* verbum ita explicavit, ut *Νεκυίας* poeta cum Androtione conveniat. Quam quidem ratiocinandi viam vel minime probandam E. Sterkius non solum probavit, verum etiam ipse ingressus est. E. Sterkius enim in dissertatione de Labdacidarum historia conscripta [60]), quamvis magna industria ac doctrina quae de fabulis Thebanis ex antiquitate nobis tradita sunt collegerit atque congesserit, tamen in his reliquiis disponendis pertractandisque certam rationem omnino non secutus est. Nam id unum egit, ut omnia ad hanc materiam pertinentia Labdacidarum historiae enarrandae intersereret. Quo factum est, ut hoc quoque loco omnia, quae de liberis Oedipi ab aliis aliis temporibus conficta sunt, undique corriperet atque mirum in modum perturbaret. *Ἄφαρ* enim idem esse, quod *ἔπειτα* et ab Apollonio [61]) auctore gravissimo dici, et ab aliis Oedipodeae fabulae auctoribus confirmari; qui quidem cum in eo omnes consentiant, Oedipum ex Epicasta matre quattuor liberos suscepisse, hos liberos Homero quoque notos fuisse apparere. Adiciuntur Pherecydis [62]) verba: *Οἰδίποδι Κρέων δίδωσι τὴν βασιλείαν καὶ τὴν γυναῖκα Λαΐου, μητέρα δ' αὐτοῦ Ἰοκάστην, ἐξ ἧς γίνονται αὐτῷ Φράστωρ καὶ Λαόνυτος* (*Λαόρνυτος* l. Valckenaer) in quibus *αὐτῷ* verbum cum ad *Λαΐου* referendum sit, Phrastorem et Laornytum, qui in

59) cf. Mueller fragm. hist. Gr. vol. I. p. 374.

60) E. Sterk de Labd. hist. p. 68 sq.

61) Apollon. lex. Hom. s. v. *ἄφαρ*, inquit, *καὶ ἀντὶ τοῦ ἔπειτα*.

62) Schol. Eur. Phoen. 53.

bello contra Minyas gesto ceciderint, Laii filios [63]), Oedipi fratres fuisse constare. Huc vero Sophoclis [64]) verba spectare

ἔχων δὲ λέκτρα καὶ γυναῖχ' ὁμόσπορον,
κοινῶν δὲ παίδων κοίν' ἂν, εἰ κείνῳ γένος
μὴ 'δυστύχησεν.

Quae cum neque Pherecydis verbis contineantur et a Sophoclis tragoedia quam alienissima sint, vix commemorata essent commemorandaque, nisi a Welckero [65]) quondam probata essent.

Aliter Pausanias [66]) de *ἄφαρ* verbi significatione iudicavit: *Πῶς οὖν*, inquit, *ἐποίησαν ἀνάπυστα* (scil. *οἱ θεοὶ*) *ἄφαρ, εἰ δὴ τέσσαρες ἐκ τῆς Ἐπικάστης ἐγένοντο παῖδες τῷ Οἰδίποδι; ἐξ Εὐρυγανείας* [67]) *δὲ τῆς Ὑπέρφαντος ἐγεγόνεσαν· δηλοῖ δὲ καὶ ὁ τὰ ἔπη ποιήσας, ἃ Οἰδιπόδια ὀνομάζουσιν.* Quo testimonio nituntur Welckerus [68]), Odofredus Muellerus [69]), Nitzschius [70]). Ac iure id quidem. Nam primum *ἄφαρ* neque *ἔπειτα* neque *ἐξαίφνης* loco poni posse, recte monuit Passowius [71]). *Ἄφαρ* enim verbum de rebus sese excipientibus vel inter se cohaerentibus [72]) usurpari. Quae

63) Affert Pausaniae quoque verba IX, 26, 2; *γενέσθαι γὰρ τῷ Λαΐῳ ἐκ παλλακῶν υἱούς.*

64) Soph. Oed. Tyr. 254.

65) Welcker Allg. Schulz. 1832. II. p. 125. Ep. Cycl. I. p. 258. cf. Schneidewin Sage vom Oed. p. 165.

66) Paus. IX, 5, 5.

67) Quae de *Εὐρυγανεία* nomine Welckerus coniectavit (Aesch. Tril. p 357) quamvis ingeniosissime excogitata, tamen vix accipienda sunt.

68) Welcker ep. Cycl. II. p. 314. Reiecit quondam Welckerus Pausaniae sententiam cf. Allg. Schulz. 1832. II. p. 124.

69) O. Müller Orchom. p. 226.

70) Nitzsch Anm. zur Od. III. p. 238.

71) Passow lexicon s. v.

72) Hesch. s. v. *ἄφαρ* haec habet: *ἄφαρ· ταχέως· ἢ εὐθέως.*

autem ἄφαρ vocabulo inducta sint, maximi esse momenti, cum in iis improvisi aliquid atque inopinati inesset. Quam quidem significationem in explicandis nonnullis locis Homericis [73]) iniuria interpretes neglexerunt.

Fuit autem istud ἄφαρ epico dialecto proprium. Atque epici quidem poetae ea, quae enarraverunt, cum ita exponere atque enarrare studerent, ut auditores totos ad se converterent, neve umquam narrationis tenorem interrumpi sinerent, eis verbis, quibus audiendi studium non modo semper excitarent commoverentque, verum etiam sustentarent et alerent, lubentissime utebantur [74]). Quae quamvis de poetis maxime dicta sint, tamen ab usu atque dictione prosae orationis non prorsus aliena esse videntur. Sic ἄρτι, ἀρτίως, νῦν, νῦν δή [75]) verba saepissime de rebus aliquo temporis intervallo disiunctis usurpata inveniuntur. Ut vero de his taceamus, in carminibus epicis nostrae gentis multa similis loquendi consuetudinis exempla invenire licet.

Sed ut redeamus ad Odysseae verba, Oedipum matrem uxorem duxisse, a diis vero ipsis infelix illud coniugium solutum esse — in quibus rebus poetae totius fabulae summa posita esse videtur — iure atque consulto ἄφαρ verbo inter se coniuncta sunt. Ἄφαρ igitur hoc quoque loco principalem significationem obtinet, quamvis Oedipi et Epicastae matrimonium statim a diis diremptum esse, accipi non possit. Liberos autem ex Epicasta matre

---

ῥᾳδίως· ἀφαρεί· ἐσπουδασμένως, inquit, καὶ ἀπερισκέπτως τι ποιεῖν. cf. Etym. M. p. 175, 15. Non abhorret ab his ἀφάρτερος comparativi significatio Il XXIII, 311.

73) Il. XI, 418. XVI, 323. XXIII, 375. XVII, 417. Od. II, 95, 169.

74) Ἄφαρ alias usurpatum invenitur Pind. Nem. I, 60, X, 118. Theogn. 716. Aesch. Pers. 464. Soph. Trach. 134, 529, 821, 958, nusquam in prosa oratione.

75) cf. Lobeck ad Phrynichum p. 18.

ab Oedipo procreatos Homero ignotos fuisse, iam inde sequitur.

Huc accedit alia causa ex Homeri rerum Thebanarum narratione petita. Homerum enim utriusque belli ad Thebas gesti saepius mentionem iniecisse, Eteoclem et Polynicem in priore bello adversarios exercituumque inimicorum duces nominasse, exposuimus. At qui factum est, ut nullo loco fraterno odio illud bellum fraterna caede infamem commotum fuisse, enarraretur? Qui factum est, ut Oedipi filios exsecrantis nullo loco poeta mentionem faceret? Qui denique factum est, ut paterna illa exsecratione fratrum odium, fratrum caedem excitata fuisse nusquam commemoraretur? Iovis prodigiis Argivorum duces praemonitos fuisse in Iliade [76]) enarratur; interierunt σφετέρῃσιν ἀτασθαλίῃσιν [77]). At quis est, qui in his verbis tragicam illam rerum Thebanarum formam latere coniciat, qualem ab Aeschylo confictam atque excultam esse antea vidimus? Immo vero Eteoclem et Polynicem cum Oedipo affinitatis vinculo coniunctos esse, nusquam poeta enarravit. Oedipi igitur fata apud Homerum cum rebus Thebanis nondum coniuncta, ideoque a nobis quoque ab eis seiungenda esse mihi videntur.

Quae quidem iam eis confirmantur, quae de Oedipodeae fabulae origine atque forma germana antea disputata sunt. Oedipi enim mythum ad naturam et ad res naturales spectare coniecimus. Quae autem ratio intercederet in fabulis ad bellum Thebanum pertinentibus, recte cognoverunt Welckerus [78]) et Odofredus Muellerus [79]). Atque Welckeri quidem verba haec sunt: *„Das Verhält-*

---

76) Il. IV, 381. cf. Hesiod. erg. 160.

77) Il. IV, 408.

78) Ep. Cycl. II. p. 320. Allg. Schulz. 1832. II. p. 113.

79) in Eumenidarum editione p. 170. cf. Orchom. p. 200.

niss der geschichtlichen Sage von den Thebischen Kriegen in irgend einer Zeit zur Dichtung lässt sich nur dunkel ahnen. Glaublich, wenn nicht gewiss ist eine Verbindung von Argeiern mit einem vertriebenen Thebischen Fürsten, in welcher Tydeus wohl nicht bloss dichterisch als ein Hauptheld der Aetolerlieder hereingezogen worden; ferner der zwiefache Krieg gegen Thebae, die Schlacht bei Glisas und der endliche Sieg von Argos. Hypothebae im Schiffsverzeichniss der Ilias statt Thebens, das darin in den Sagen der früheren Zeit vorkommt, scheint auf eine verwüstete Veste zu deuten [80]. *Aber fast keiner von allen Namen der Hauptpersonen steht von dem Scheine der Erdichtung frei.*" Adicienda sunt Muelleri verba: „*So innig ist der geistige Zusammenhang, in welchem früheren Geschlechtern diese Vorgeschichte Thebens erschien, so mächtig war damals die Idee, dass sie die äusseren Facta ganz sich anzueignen und in sich aufzunehmen vermochte. Denn den Argeierzug vermöchte wohl niemand ganz abzuläugnen, so wenig auch an Adrastos und Amphiaraos zu denken ist. Theben lag wirklich wüst, bis es durch die Boeoter von Neuem gehoben wurde; nur ein Flecken unter der alten Stadt, Hypotheben existirte in dieser Periode.*" Quae hoc modo variis temporibus variisque conditionibus ortae sunt fabulae, a poetis aetate inferioribus demum — atque hac potissimum in re poetae cyclici multum ad fabulas conformandas et excolendas valuisse mihi videntur — tam arcte coniunctae atque in unum corpus quasi confusae sunt, ut separatim eas compositas esse confictasque nos fugeret, nisi antiquissimae illius fabularum formae memoria Homericis carminibus nobis servata esset. Reicienda igitur sunt Rankii verba: „*Die Art, wie Homer von dem Unglück spricht, ist Bürge*

80) Il. II, 505. cf. O. Mueller Orchom. p. 226.

dafür, dass eben die unglückliche Ehe durch Kinder noch unseliger wurde."

Quibus examinatis perpensitatisque restat, ut de versibus

ἀλλ' ὁ μὲν ἐν Θήβῃ πολυηράτῳ [81] *ἄλγεα πάσχων*
Καδμείων ἤνασσε θεῶν ὀλοὰς διὰ βουλάς.

quibuscum coniungendi sunt

τῷ δ' ἄλγεα κάλλιπ' ὀπίσσω
πολλὰ μάλ', ὅσσα τε μητρὸς Ἐρινύες ἐκτελέουσιν.

pauca adiciamus [82]. Quantum enim inter Iliadem et Odysseam intersit, quantum Odysseae auctor ad definiendam constituendamque tragicam fabulae indolem valuerit, quantum ad praeformandum tragicum fabulae colorem cotulerit; haec hisce verbis cognoscuntur, ut supra saepius dictum atque exploratum est. In quibus verbis explicandis Welckerus [83] *ἄλγεα πάσχων, ἄλγεα πολλὰ μάλα* verba non animi tantummodo doloribus Oedipum cruciatum fuisse, immo vero his doloribus superatum atque profligatum sese excaecasse, significari contendit. Quod cum non solum Eustathii scholiastaeque horum verborum explicationi, sed etiam ipsis Homeri verbis repugnet, repudiandum esse censeo. *Ἄλγεα* enim a diis ipsis Oedipo imissa fuisse [84], quam clarissime pronuntiatur. Quae quidem *ἄλγεα* in eo posita sunt, quod Oedipus, atrocissima faci-

81) *Πολυήρατος* verbum ab Eustathio scholiastaque falso ab *ἀράομαι* vocabulo derivatum fuisse, recte animadvertit Welckerus.

82) Mortem Epicastae eodem fere modo poeta describit, quo Aeschylus et Sophocles, quos Androtion (schol. Od. XI, 271) Apollodor. III, 5, 8, 3. Diodor. IV, 64 secuti sunt.

83) Allg. Schulz. 1832. II. p. 124. Ep. Cycl. II. p. 333. cf. Schneidewin Sage vom Oed. p. 166. Philol. III. p. 355.

84) Verba *θεῶν ὀλόας διὰ βουλάς* cum *ἄλγεα πάσχων* coniungenda esse, neque cum *ἤνασσε* ab Eustathio et a scholiasta doctum est, quorum sententiam iniuria Welckerus reprobavit.

nora sese perpetrasse, sibi semper conscius est. Vitam igitur degit quam miserrimam tritissimamque. De morte eius nihil traditum est. Hominem scelestum animi cruciatibus profligatum, deorum gratiam sibi reconciliasse, deorum gratia summis vitae calamitatibus ereptum, in Eumenidarum sacro acquievisse; haec a Sophocle demum effingi potuerunt, Sophoclis demum tempore intellegi.

VITA.

Natus sum Ioannes Seebeck Dresdae die XII mensis Augusti anni h. s. XLII, patre Augusto, quem immatura morte mihi ereptum valde lugeo, matre Paulina. Fidei additus sum evangelicae. Litterarum primordiis imbutus gymnasium frequentari, quod Dresdae tum florebat rectoribus Carolo Blochmanno, Georgio Bezzenbergero, viris humanissimis doctissimisque, qui quanta in me contulerint beneficia, non est huius loci pluribus persequi. Exeunte anno LX ad universitatem Ienensem profectus sum, studiis philologicis operam navaturus. Ibi scholas audivi virorum clarissimorum C. Fischeri, Goettlingi, Hildebrandi, Nipperdei, Schleicheri, A. Schmidti, M. Schmidti. Anno LXII Bonnensem adii academiam, cuius civis fui per triennium. Per quod audivi prodocentes viros clarissimos Iahnium, Ritschelium, Sybelium, Walterum. Omnibus praeceptoribus, qui studia mea auxerunt, gratias ago quam maximas, imprimis vero Ritschelio Iahnio, quorum insigni comitate mihi contigit, ut illius epigraphicis, huius archaeologicis exercitationibus fruerer.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. In tractandis quaestionibus mythologicis quae ab aliis scriptoribus aliis temporibus tradita sunt atque conformata certa ratione sunt disiungenda et ad mythorum historiam restituendam adhibenda.

II. In diiudicanda quaestione de carminibus Homericis instituta quanta vis tribuenda sit fabulis sive mythis iusto magis a viris doctis neglectum esse censeo.

III. In Aeschyli septem ad Thebas v. 766 sic scribendum esse conicio:

τέκνοισιν δ' ἀρὰς
ἐφῆκεν, ἐπιπόνῳ τροφᾷ.

IV. Sophocles in Oedipi regis versu 18 scripsit:

ἱερεῖς τ', ἐγὼ μὲν Ζηνὸς, οἱ δὲ γῆς θεῶν λεκτοί.

V. In eiusdem Electra v. 329 sic emendandum est:

τίν' αὖ σὺ τήνδε πρὸς θυρῶνος ἐξόδοις
ἀλγοῦσα φωνεῖς, ἆ κασιγνήτη φάτιν.

VI. Non mirandum, veteres in etymologia nihil fere probi praestitisse.

VII. Adolescentibus, qui in academia litteris operam dant, scholae historicae multo magis, quam nunc fit, sunt frequentandae.

VIII. Suo iure Schumannus alteram Fausti Goethianae partem chordarum sonitu cantuque vocum illustravit.